Articuli Synodales, bis a Regiâ Majestate
perlecti et approbati.

1.) Superintendens in initio Synodi utilitatem lectionis Biblicae deducet et singulis Pastoribus diligenter subjiciet.

2.) Libros Methodicos symbolicos et homileticos, quos legere debent, ipsis nominabit.

3, Examen cum Pastoribus instituet et modo hoc vel illud e Papismo vel Calvinismo movebit, ut cognoscat, quantae sint Pastorum vires, ad resistendum hostibus nostrae Ecclesiae.

4. Nemo Pastorum aliquid sparget et in lucem edet, quod non censura Superintendentis fuerit subjectum et ab eo approbatum.

5. Pastores Dispositiones Concionum suarum, quas quovis anno habuerunt, Dom. Superint: ad cognoscendum offerent. Sic enim noverit Superint. quam diligentiam quisq. ad docendum afferat et quam docendi rationem teneat an auditoribus sit accomodata.

6. Superintendens diligenter inquiret in privatam confessionem et administrationem Sacramentorum, quinam et quot ex auditoribus annuatim communicaverint, quando fiant communicationes, quomodo et quibus ritibus fiant communicationes: Quomodo agonizantibus communicetur. Num Pastores aegrotantibus et agonizantibus fidelem operam navent?

7. Superintendens exiget designationem eorum qui communicarint qui infantes baptizati sint: Qui benedictione Pastoris copulati sint: Qui deniq. illo anno mortui sint.

8. Inquiret Superintendens, num formulae Catecheticae et praeparatoria ad sacram coenam sint uniformes?

9. Quomodo auditores ex institutione Pastoris proficiant, et num liberi etiam orare discant.

10. Qualia festa celebrantur, num etiam Idolatrica et superstitiosa illa, quae hactenus observari solita?

11. Superintendens in supellectilem templi inquiret et quomodo templum sit reparatum vel hactenus conservatum.

12. Num Pastoratus sint aedificati et quomodo conserventur?

13. Quae secta cuique loco sint confines et num populus a Sectariis etiam seducatur?

14. Num Pastores inter se concordiam alant, et cum suis sive Praefectis sive officiariis regiis conjunctis animis ac sensibus vivant.

15. Num Excursiones ad certa loca, num Idolatria et magia in populo sit familiaris et quinam tales sint?





16.) Num Blasphemi aliqui sint inter Auditores?

17, An aliqui vivant in notoriis et mortalibus peccatis v.g. adulterio, fornicatione, crapula, desertione malitiosa, inobedientia contra Pastorem?

18. Quomodo Scholae procurentur, num juventus recte educetur?

19. Superintendens diligentem dabit operam ut pastoribus de necessariis vitae alimentis prospiciatur, ne justam conquerendi causam habeant.

20. Quae sit ratio sepulturae, ne dissentientes à nobis in commune cum aliis coemiterium inferantur.

21. Praefecti cujuscunq. loci moneantur, ne Pastoribus quispiam gravis sit: sed ut refractarii et rebelles statim compescantur.

22. Superintendens una cum Synodo quotannis modo hunc districtum, modo illum visitabit et quomodo omnia administrentur curiosis oculis obibit.

Rigae d.
Anno 1625.